Observatio II.a N° 10

de utero impervio, et Carie ossis petrosi.

Melancholica et sterilis quadraginta circiter annorum mulier, quæ mensium defectu, et indè sequente Chlorosi, et surditate perpetuò laboraverat, febre lentâ, et Cephalalgiâ tandem periit.

in perlustrandis ejus Cadaveris Cavitatibus, ut medico roganti præternaturalia visa referrem, hæc potissimum adverti, quæ toti tragediæ argumentum præbuisse videbantur.

Uteri orificium penitùs sigillatum erat, quâ parte vaginam respicit; ejus nempè labra (quod jam anteà observaveram in fœminâ cujus vitæ historiam ignoro) Continua erant ad lineæ crassitiem: interiùs autem Colli Cavitas cum Corporis et fundi Cavitate Continuabatur.

in Cranio alterum ex petrosis ossibus malè affectum occurrit, Rupes nimirùm hinc indè livida, aut præter morem aspera Conspiciebatur. Tympani membrana Consumpta totaque interna pyramidis fabrica affecta Carie, Stilo ingressum per meatum auditivum Externum, égressumque

peo internum facilè permittebant. pyramidis apex
adeò friabilis evaserat, ut insensili vi destrueretur.
in illius angulo anteriori, tubæ Eustachianæ parietes
evanuerant, Carotidisque externæ ramulus, per foramen
spinosum Cranii Cavitatem penetrans, pure circumrosus
aneurismate tumescebat, fabæ volumen superante.
Dura nervi acoustici portio, intra Cranium superstes,
inflammata. in posteriori pyramidis facie, ponè foramen
auditivum, meninges érosæ apparebant, ac in eâdem
viciniâ ex sinus petrosi posterioris erosione, sanguinis et
puris tantillum extabat, quæ brevi noxam medullæ
oblongatæ attulissent.

Advertere vero, hâc parte mulierem adeò surdam
extitisse, ut nullum distingueret sonum, neque vociferationes
neque fragores perciperet, nisi per dolorem in Cerebro, ut
ipsa vivens referebat, obortum. qui dolor etiam
Excitabatur, quoties aeri frigidiusculo in hanc aurem
patebat aditus. hinc istam gossypio obturabat, et
Caput grandi crassâque obvolvebat Calanticâ.

alterâ aure mulier mediocriter plerumque audierat.
in hâc autem inter dissecandum Tympani membranam
debito crassiorem reperi, et cum cæteris mollibus auditûs
partibus inflammatione correptam.

Ex mensium defectu aurium inflammationem, ex hâc
surditatem, abscessum, et ossis cariem provenisse
credendum est. Surdastram novi puellam, quæ utrâque
aure sussurum, tinnitum, et bombum instantibus
mensibus semper patiebatur, mediusque audiebat,
ipsis egressis. hæc quùm pubertatem propediem
attigisset, abscessum in alterâ ex auribus passa fuerat,
quo abrupto, sat puris effluxit aliquandiù, et ulcus lacte
é muliebri mammâ in aurem frequenter injecto curatum.

injectiones opportuné adhibitæ ex aptâ materiâ, quâ
pus educi, et ulcus consolidari potuisset, ossis cariem
in memoratâ muliere præpedivissent, et cætera
symptomata quæ misellæ mortem denique intulerunt

autore D. Perinoti pedemontano